In Dei nomine, Amen.

CApitulum Prouincialis celebratum in hoc Sancti P. N. Augustini Quitensi Conuentu 24. die mensis Iulij anno Domini 1681. in quo reelectus fuit in Priorem Prouincialem huius Prouinciæ R.A.P.N. Magister Fr. Petrus Pachecho.

In hoc Conuentu S.P.N. Augustini de Quito die 23. mensis Iulij anno Domini 1681. R. A. P. N. Magister Fr. Petrus Pachcco Prior Prouincialis istiusce Prouinciæ A Iunctis, & in vnum congregatis RR.PP. Vocalibus, & Capitularibus, ad quos præsens pertinet electio in loco ad hunc effectum deputato: B assistenteque pariter nobili Licentiato Domino Michaele Antonio de Ormasu Ponce de Leon ex Senatoribus huius regalis Senatus antiquiore, in quo residet gubernium illius propter absentiam Nobilis Licentiati Domini Lupertis Antonij de Muniue Præsidentis: qui astitit Senator in dicto Capitulo ad petitionem Patris Procuratoris istius Conuentus ad manutentionem pacis, & ad recognoscendas litteras præsidentales huic Prouinciæ à nostro Reuerendissimo Patre Generali missas, collatasque per Supremum, & regale Indrarum Consilium, quæ dicta collatio antea non potuit recognosci, eo quòd esset inclusa intra sigillum, & extra Capitulum aperiri non possit. C Qua aperta cognitus, & declaratus, & ad cunctorum obedientiam admissus fuit in Presidentem dicti Capituli Prouincialis R.A.P.N. Magister Fr. Augustinus Rodriquez Prior huius Conuentus virtute illarum: D & immediatè processum fuit ad electionem Iudicum causarum iuxta dispositum per noua decreta missa à nostro Reuerendissimo P. Generali: Confirmataque à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa Vndecimo: in qua canonicè fuerunt electi per Vota secreta, confirmatique in suis officijs R.P. Magister Fr. Antonius Quetreno, R.P. Magister Regens Fr. Iosephus Zuleta, & R.P. Lector Fr. Augustinus de Aluarado Secretarius Prouinciæ E qualificatisque votis omnium Capitularium F sequeati die 24. Iulij hora quasi sexta sub mane omni cum solemnitate, & deuotione decantata fuit missa Spiritus Sancti; dictoque Veni Creator Spiritus, vt moris est. Iunctis, & congregatis prædictis Electoribus in loco deputato ad hunc effectum pariter cum assistentia prædicti Senatoris, & lecto Capitulo nostrarum Sacrarum Constitutionum, nouaque Bulla missa à Sanctissimo Domino Nostro Papa Innocentio XI. ad dictam electionem, simulque decretis, & statutis nouiter missis à Reuerendissimis PP. Generalibus Magistro scilicet Fr. Nicolao de la Oliua, & Magistro Fr. Dominico Valuassorio processum fuit ad electionem noui Prouincialis, peractisque omnibus, & singulis ceremonijs à nostris Sacris Constitutionibus dispositis. G electi, & nominati fuerunt in Scrutatores præsentis

A
Capituli Congregatio.

B
Assistentia Senatoris Regij ad instãtiam Procuratoris Conuẽtus pro pace tuenda.

C
Declaratio, & admissio Præsidentis Capituli.

D
Electio Iudicum causarum per vota secreta, & eorum confirmatio.

E
Qualificatio Vocalium.

F
Præambula necessaria ex Iure, & Constitutionibus adimpleta.

G
Electio, & nominatio Scrutatorum.

H
Scrutinium secretum.
I
Reelectio Prouincialis cum 40. votis ex quadraginta, & vno suffragijs qui concurrebāt. Publicatio electionis.
K
Reclamatio Electi quòd eius reelectio erat nulla vti facta contrà Constitutiones.
L
Instantia quòd deberet ad aliam electionem deueniri.
M
Renunciatio cuiuscumque Iuris ab electo quaesitio.
N
Alia vniformis protestatio Senatoris assistētis.
O
Responsio negatiua Praesidentis.
P
Noua electi replicatio. Praeceptum ei iniunctū à Praeside vt acceptet electionem.
Q
Conspiratio in idem omnium Electorum.
R
Qui ad Ecclesiam electum ducunt, & postquam ibi à Preside fuit confirmatus praestarunt illi obedientiam sine contradictione.
S
Electio Definitorum omnibus votis nemine discrepante.
V
Eorum confirmatio, & publicatio in officijs.
Z
Definitorium vnitum, in quo fuerunt facta se-

functionis, caeterarumque subsequentium R.A.P. noster Magister Fr. Ioannes Martines de Lussuriaga Prouincialis absolutus, R.P. Praesent. Fr. Ferdinandus Colorado Definitor maior Prouinciae, & R.P.Magister Fr.Antonius Guerrero H factoq; scrutinio secreto, regulatisq; Votis iuxta praescriptum à Sacro Concilio Tridentino Christi nomine inuocato I ritè, & canonicè reelectus fuit in Priorem Prouincialem huius Prouinciae R.A.P.N.Magister Fr.Petrus Pacheco quadraginta votis,& R.P.Praesent. Fr. Ioannes Pacheco cum vno voto, quia 41. vota ad dictam electionem concurrerunt: I Et cum decantata fuisset talis reelectio à R. A. P. nostro Magistro Fr. Ioanne Martines de Lussuriaga primo Scrutatorum: K *Tunc surrexit à Sede P. Magister Fr. Petrus Pacheco, altaque voce coram omnibus clamauit dictam reelectionem nullam, irritam, cassamque esse, quia est contrà dispositum à nostris Sacris Constitutionibus, Bullis, & decretis Apostolicis* L debereque ad nouam electionem vlteriùs procedere, M datoq; quòd per illam aliquod ius aquisiuisset ad dictam reelectionem semel secundo, & tertio se illi renunciare, & toties quoties ius canonicum illi permittebat N tuncque praedictus Senator ipsammet fecit protestationem R.A.Nostro Magistro Fr.Augustino Rodriques Praesidenti Capituli, & quòd ad nouam electionem procederet in subiecto capaci, in quo nulla nullitas reperiretur O cui respondit iam esse talem reelectionem factam ab omni Prouincia, & quòd cum illa, & cum gubernio Prouinciae prosequendo praedictus R.Pater iudicante Deo Optimo Maximo inseruire ratione vtilitatis Prouinciae ad augumentum illius, & conseruationem pacis, & quòd in hac conformitate non debebat vlteriùs ad nouam electionem procedere. P Instanteque praedicto P. Magistro Fr. Petro Pacheco, & renuente talem electionem Q virtute sanctae obedientiae obtemperauit R.Pater Praesidens, vt illam acceptaret, R & subito omnes PP. Vocales surrexerunt à loco nullo modo volentes ad aliam electionem procedere, cantantesque Te Deum laudamus exierunt à Domo Capitulari, S & processionaliter iter fecerunt ad Cappellam maximam Ecclesiae, vbi dicta reelectio fuit confirmata à praedicto Patre Praesidente, cui omnes obediētiam praestarunt absque vlla contradictione: T Eodemque die sub Vesperum processum fuit ad electionem Definitorum, & canonicè fuerunt electi RR. PP. Magistri Fr.Antonius Guerrero, Fr.Iosephus Zuleta, Lector Fr. Emanuel Viera, & Praedicator Fr. Didacus de Cafferes omnibus Votis nemine discrepante, V qui fuerunt publicati, & confirmati in suis officijs: & in additos Pater Lector Fr. Augustinus de Aluarado omnibus votis, Praed.Fr.Didacus Gueuara triginta, & vno, & R.P.Praesent. Fr. Petrus de Santillan viginti, & nouem: Z qui omnes iuncti, & congregati in forma Capituli Prouincialis scilicet R.A.P.noster Praesidens Magister Fr.Augustinus Rodriquez. R. A. P. N.Magister

gister Fr.Petrus Pacheco Prior Prouincialis actualis,& R.A.Pater noster Magister Fr.Ioannes Martines de Lussuriaga Prouincialis absolutus, & RR.PP.Magistri Fr.Antonias Guerrero, Fr. Ioseph Zuleta, Lector Fr.Emanuel Viera, Prædicator Fr.Didacus de Casseres Definitores actuales Prouinciæ, & RR.Patres Præsentatus Fr. Ioannes à Sancto Nicolao, & Prædicator Fr. Nicolaus de Segama Visitatores ordinarij Prouinciæ Capituli præteriti, ordinarunt, & terminarunt, atq; definierunt sequentia.

quentes electiones Priorum, & stabilita infrascripta Acta.

Prima Definitio.

Primum dixerunt suæ intentionis non esse determinare, & mandare aliquid contrà nostram Sanctam Catholicam Fidem, Sacros Canones, Concilia statuta Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ: Verum enim dabant, & de facto cum omni humilitate, & submissione præstabant, & præstiterunt obedientiam Sanctissimo Domino Nostro Pontifici Romano, Eminentiss. Domino Cardinali Protectori Ordinis, Reuerendiss. Domino nostro Generali, omnibusque illis, quibus de iure possunt, & debent.

A A

Secunda Definitio.

Item dixerunt quod supplicabant, & supplicarunt à Nostro Reuerendissimo Patre Generali quatenus dignaretur concedere RR. Patres Definitores executioni mandare decretum vigesimum octauum huic Prouinciæ missum cum assistentia in Conuentibus de la Tacunga, Riobamba, & Villa de Sbarra, quia sunt proximiores isti Quitensi via duorum dierum, & possunt quoties, & quandocumque vocentur venire ad celebrationem Definitoriorum priuatorum ratione extremæ necessitatis, & paupertatis huius Conuentus, qui congruam sufficientem non habet ad substentationem tantorum Religiosorum grauium. Declararuntq; quòd propter istam definitionem non intelligatur prædictum decretum non sortiri pro nunc effectum, & esse suspectum, sed esse in suo robore, & vigore vsque dum assequatur modificatio illius à Reuerendissimo petita.

Tertia Definitio.

Item dixerunt quòd per modum supplicationis (absque eo quod videatur contrauenire dispositioni Reuerendissimorum Patrum Generalium, proponebant, & proposuerunt Prædia de Fupigache, Fabacundo, Pintae, Chillo, Atapo, Ozogoche, Zula, & Ichubamba ad erigenda in domos, & Vicarias titulares, respectu Congruæ quàm habent ad Religiosos substentandos; & quia hæc fuit potissima ratio proposita Sanctissimo Domino Nostro Papæ Innocentio XI. vt confirmaret cæteras Vicarias, quibus cum voto gaudet hæc nostra Prouincia, quæ cum sit paupertima premiorum, non habet quibus Religiosis benemeritis, qui cum multa vigilantia, & cura illi subseruiunt, premiare possit, qua necessitate compulsi supplicarunt à Reuerendissimo nostro Patre Generali quòd dignetur huic Prouinciæ tales Vicarias cum suffragio, & voto concedere.

Prouiſio Domus de Iuquerres.

Eligimus in Vicarium P. Fr. Ioſephum Luzero.

Et in Doctrinarium V. P. L. Fr. Dioniſium Fernandez.

Prouiſio Domus de Callo.

Eligimus in Vicarium P. Præd. Fr. Dominicum Ceſpedes.

In adminiſtrationem Prædiorum R.P.Præſ. Fr.Philippum Zamora.

Prouiſio S. Barbaræ de Caxas.

Eligimus in Vicarium V. P. Præſ. Fr. Ludouicum de los Reyes.

In adminiſtrationem Prædiorum, ètiamque de Iupigache R. P. M. Fr. Leonardum de la Raſabula.

Prouiſio Domus de Galte.

Eligimus in Vicarium P. Præd. Fr. Franciſcum de Siquenſa.

Prouiſio S. Baſilij de Lumbagua.

Eligimus in Vicarium P. Præd. Fr. Ioannem Plaſa.

Et in adminiſtrationem Prædiorum R. P. præſentatum Fratrem Martinum de la Pulla.

Prouiſio Domus de Yaguarcocha.

Eligimus in Vicarium P. Præd. Fr. Petrum Callexas.

Item nominabant, & nominarunt in Examinatores ad omnes gradus tàm Magiſtrorum, quàm Præſentatorum Reu. Admod. Patrem noſtrum Prouincialem Magiſtrum Fratrem Petrum Pacheco, Reu. Admod. Patrem noſtrum Magiſtrum Ioannem Martines de Luſſuriaga Prouincialem abſolutum, & Magiſtrum Fratrem Auguſtinum de Valareſſo: & in Examinatores Confeſſorum, & Prædicatorum RR. Patres Definitores, quibus ſtrictè oneramus conſcientias in examine.

Item ſignabant, & ſignarunt pro domo Capitulari ad electionem futuram hunc noſtrum Conuentum Quitenſem, & ad intermedium celebrandum ad libitum Reuerendi Admodum Patris noſtri Prouincialis.

Item dixerunt quòd dabant, & dederunt compromiſſum huius Capituli Prouincialis Reu. Admod. Patri noſtro Prouinciali, vt per ſe ſolum poſſit litteras patentales Prædicatorum, & Confeſſorum concedere.

Item dixerunt quòd præſentabant, & poſtulabant ad Magiſteria Ordinis obtinenda RR. Patres Lectores Fratrem Didacum de Armas, Fratrem Petrum Loſſa, Fratrem Marcum Banzes, Fratrem Dioniſium Fernandez, qui ſuæ Lectoriæ tempus eum compleuerunt: & quia RR. Patres Definitores Fr. Ioſephus Zuleta, Fr. Emanuel de Viera, & R. P. Regens Fr. Didacus de Arteaga in hoc quatriennio completuri ſunt etiam ſuæ Lectoriæ tempus, & quod ſi illos in præſenti non poſtulamus, & præſentamus ad Magiſteria Ordinis, graue illius ſequitur præiudicium: ideò ſupplicabant, & ſupplicarunt noſtro Reuerendiſſimo Patri Generali, quatenus cùm iſtis ſubiectis dignetur diſpenſare, cum decreto vigeſimo octauo, in quo prohibitæ ſunt ſimiles poſtulationes, illiſque mittere ſua Magiſteria, quia reuera digni ſunt, & benemeritis

meriti, quia cum multo labore', cura, & vigilantia inseruierunt suæ Religioni in Cathedra, concionibus, alijsque officijs sibi commissis cum notiori studentium fructu.

Item dixerunt quòd cum in quinto decreto huic Prouinciæ misso sancitum sit à nostro Reuerendissimo Patre Generali rationem reddi de numero Vocalium ad electionem noui Prouincialis concurrentium: ideò certiorem facimus suam Reuerendissimam C C Paternitatem fuisse quadraginta, & vnum, & quòd omnes suffragati sunt vnanimiter, & concorditer Reu. Admod. Patri nostro Magistro Fr. Petro Pacheco, qui solus suum alteri præstitit suffragium.

Et quia Nobis Fratri Augustino Rodrigues Præsidenti Capituli Magistro Patri Fratri Petro Pacheco Prouinciali nouiter reelecto, Magistro Fratri Ioanni Martinez de Lussuriaga Prouinciali absoluto, Definitoribus actualibus huius Prouinciæ scilicet Magistro Fratri Antonio Guerrero, Magistro Regenti Fr. Iosepho Zuleta Lectori Fr. Emanueli de Viera, & Præd. Fr. Didaco de Casseres, & Visitatoribus ordinarijs præteriti Capituli videlicet præsentato Fratri Ioanni de Sancto Nicolao, & Prædicatori Fratri Nicolao de Segama, visum est omnia in præsenti determinata, & statuta esse sanctum, iustum, & conueniens ad maiorem authoritatem, optimumque regimen istius Prouinciæ tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus ordinamus, & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommuuicationis maioris latæ sententiæ vna pro trina canonica monitione præmissa ipso facto incurrenda, quod ad pedem litteræ executioni mandentur: & vt hæc omnia in notitiam omnium Religiosorum perueniant, mandamus vt publicentur in singulis Conuentibus illius, & quòd omnes Priores, atque Doctrinarij secumferant quoddam transumptum istorum actorum cum prouisione cuilibet pertinente iuxtà dispositum à nostris sacris Constitutionibus, quia nullus Prior vt talis haberi potest in suo Conuentu, nisi secumferat prædictas litteras patentales firmatas à R. P. Præsidente: & in hac conformitate hoc instrumentum firmamus, sigillarique sigillo maiori Prouinciæ mandamus, corroborarique à Secretario illius.

Magister Fr. Augustinus Rodriquez Præses.
Magister Fr. Petrus Pacheco Prior Prouincialis.
Magister Fr. Io: Martines de Lussuriaga Prouincial. absolutus.
Magister Fr. Antonius Guerrero Definitor.
Lector Fr. Ioseph Zuleta Reales Definitor.
Lector Fr. Emanuel de Viera Definitor.
Fr. Didacus Caseres Definitor.
Præsentatus Fr. Ioannes de San Nicolas Visitator.
Fr. Nicolaus Segama Visitator.
De mandato RR. Adm. PP. Definitorij Capituli Prouincialis.
Fr. Augustinus de Albarado Secretarius.

Sacræ Congreg. Episcoporum, & Regularium.

Eminentissimo, & Reuerendissimo D.

CARD. S. CECILIÆ

Quiten. nullitatis cassationis Capituli.

P R O

Prouincia Quitensi, & electis in illius Capitulo Prouinciali,

Acta Capituli.

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apost. 1684.

Superiorum permissu.